


Joachimi Hartmanni Schediasma Theologico Polemicum, Quo Argumentorum Satisfactionem Christi Pro Impoenitentia Finali Praestitam Negantium, Et Dissertationis Inauguralis Sectione Partis Polemicae Secunda Refutatorum, Et Specialiter, Argumenti Secundi, A Damnatione Finaliter Infidelium, Et Tertii, Ab Impossibilitate Factum Physice Et Moraliter Alienum Qua Tale Imputandi, Desumti, Tentata Defensio Refellit

Rostochii: Adler, 1756

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840883862>

Druck Freier  Zugang





a. B.
48. b. 31.

55

428

Fa 1092 (55.)

1. Nakhmacher, de discrimine inter preparationem euangelicam et euangelii demonstrationem
2. Braun, de iure Maugul nunciis insignis Colubius nunciis iussu, Sign. D. h. v. m.
3. Jacobi Anthropomorphismus a vera notione immensitatis, sapientiae, libertatis, atque aeternitatis diuinae remotus.
4. Lange, religiosam natalis Domini celebrationem.
5. Treller, de vino modico hypochondriacis salutaris ad sacrum locum Thimoth. 5. 23.
6. Quistorp, de adoptione ecclesiastica veteris Testamenti.
7. Carpow, de regis Iesaias Prophetas natalibus.
8. Hartmann, argumenta, de satisfactione Christi, pro impenitentia finali praestita, negantia.
9. Hartmann, ideam generalem vnicam verae religionis ex scriptura sacra, et specialiter ex Rom. 12., 1. 2. euoluentis etc.
10. Hartmann, ideam generalem vnicam verae religionis ex scriptura sacra, et specialiter ex Rom. 12., 1. 2. euoluentis sectionem exegeticam posteriorem etc.
11. Hartmann, argumenta, de satisfactione Christi, pro impenitentia finali praestita, negantia.
12. Hartmann, de satisfactione Christi, pro impenitentia finali praestita.
13. Prier, de officiis Christi nonnulla momenta generalia sistens.
14. Stepinus, de directorio corporis euangelicorum.
15. Prier, de Prophetis et apostolis salua inspiratione diuina.
16. Stepinus, demonstratio existentia diuina ex scriptura sacra.
17. Carpow, de verbis Davidis, maledicentiam simeiticam concernentibus: 777 777 777 א' הוה 2 Sam. 16. 10.
18. Halman, de 5ε γαρω ε; ακανδωv. corona de spinis. Matth. 27. 29.
19. Halman, de 5ε γαρω ε; ακανδωv. corona de spinis. Matth. 27. 29.
20. Quistorp, de peccato originis.

- 21., Quistorp, de fide Dei opere, Joann. 6. 29.
- 22., de Marie, de explicatione Joann. 14. 23.
- 23., Hartmann, de Jesu Nazareno vero Messia.
- 24., Mangel, de significatione vocis Susdaimonia in Novo Testamen-
to ad illustranda loca Act. 17. 22. c. 25. 19.
- 25., Pries, de non consumatis partibus Veteris Testamenti ex Epist.
ad Hebr. 11. 39. 40.
- 26., Sasse, de Christo, et sacerdote et victima in omnium salutem.
- 27., Raempfer, de modo praedicationis paulinae. 1 Cor. 2. 4. 5.
- 28., Quistorp, de Judaeis corde compunctis. Act. 2. 37.
- 29., Carpon, de Jonae visionibus etc.
- 30., Hartmann, de vaticinio Simeonis. Luc. 2. 34. 35.
- 31., Riederer, Ein überaus seltsam Reformationswunder.
- 32., Riederer, Anhang zu dem Reformationswunder.
- 33., Engel, de rationibus consequentiae immediae.
- 34., Mayohl, de angelorum corpore proprio.
- 35., de dono Spiritus Sancti. etc.
- 36., Vittenzwey, anti-blanchiana.
- 37., Heinius, de auctore et causa stragis Aegyptiorum tempore Eze-
chiae Judaeorum regis ad Illustrationem Jesaiae c. 37. 36.
- 38., Reuß, de gratia Spiritus Sancti applicatae in genere.
- 39., Nahmasher, de introductione in septem epistolas catholicas
lectio tertia.


IOACHIMI HARTMANNI
SCHEDIASMA THEOLOGICO-POLEMICVM,
QVO
ARGVMENTORVM
SATISFACTIONEM CHRISTI
PRO IMPOENITENTIA FINALI
PRAESTITAM NEGANTIVM,
ET
DISSERTIONIS INAVGVRALIS
SECTIONE PARTIS POLEMICAE SECVNDA
REFVTATORVM,
ET SPECIALITER,
ARGVMENTI SECVNDI,
A DAMNATIONE FINALITER INFIDELIVM,
ET TERTII,
AB IMPOSSIBILITATE
FACTVM PHYSICE ET MORALITER ALIENVM
QVA TALE IMPVTANDI,
DESVMTI,
TENTATA DEFENSIO REFELLITVR.



ROSTOCHII, A. R. O. MDCCLVI.
TYPIS IOANNIS IACOBI ADLERI, SER. DVC. REGN. AVL. ET ACAD.
TYPOGRAPHI.

IOACHIM HARTMANN
PHYSICUS
SATISFACTIO
PRO FINE
DISECTIO
SECTIONE PARTIS POLYMERAE SECUNDAE
ARGUMENTI SECUNDI
A DAMNATIONE FINALITER INFIDELIUM
FACTVM PHYSICAE MORALITER ALIENVM
TENTATA DISPENSIO REPELLITUR
ROSTOCKI A. R. O. MDCCCLXXV





DEO TRINIVNO
CLEMENTISSIME MODERANTE

INGRESSVS.



Postquam argumenta, quibus, factam a Redem-
tore pro actu reprobis, et specialiter, pro impeni-
tentia finali, et peccato in Spiritum Sanctum,
satisfactionem, demonstraeram in *Diss. Inaug.*,
contra obmota vindicaui, vltius progressus, etiam con-
futare debui *argumentorum*, pro opposita sententia, *de-*
fensionem. Sed laboribus parcendum fuit, hinc tum qui-
dem non nisi *argumenti primi* defensionem potui dijudi-
care atque refellere. Prosequor nunc, controuersiam fi-
niturus, quae restant: et, quam studiose tentauit *Cel.*
CARPOVIUS ejusque *Defensor Anonymus*, argumenti
Carpouiani secundi, et *tertii*, reliquorumque incidenter
disputatorum, *defensionem* rejiciendam sumo. Faxit Deus be-
nignissimus, vt, veritatis sola habita ratione, cuncta in
ipsum et Satisfactionis pro peccatoribus atque peccatis
praestitae illustrationem vergant.

A

§. I.

Argumento secundo nimirum pro firmanda hypothesi sua argumentatus erat Vir Cel. CARPOVIUS disjunctiue: *Aut finaliter incredulum ob suam incredulitatem non damnari, aut Christum pro incredulitate finali non satisfacisse: priori negato, affirmandum esse posterius.* Ego, dari tertium, respondi, scilicet hoc, *aut damnari incredulum propter incredulitatem, pro qua satisfactio data non applicata est* Vir Exc. Spec. XI. §. 13. disjunctionem suam probat ex hypothesi de duplici poena non sumenda. Quo quidem fundamento, cum suis fulcris destructo *Progr. Pent. et Disp. 3.)*, firmitas disjunctionis, quousque inde deriuata est, collabitur. Vir itaque Celeberrimus, *cum aliqua, in quibus consentientem me habet, dissentientem, si quae dixeram, pensitasset, non inuenisset, quaeque statum controuersiae respiciunt, praemonuisset,* disjunctionem alia ratione defendendam quaerit. Format membra disjunctentia: *finaliter incredulus propter ^{causam} finalem aut damnatur aut non. Posterius falsum; Ergo verum est prius. Si damnatur; aut Christus pro incredulitate finali satisfacit, aut non. Si satisfacit; duplex est vnus peccati poena, quod poni non debet, ergo non satisfacit.* Et nunc adseuerare audeat Vir Doctissimus, *disjunctionis suae veritatem esse demonstratam.* Eam vero conclusionem nec Argus videat ex principiis fluere, nisi demonstratio sit in eo, quod additur, *oppositionem membrorum esse manifestam.* Ita, quod manifestum est, probari nequit! Nihil dicam de forma argumentandi, quae certe logica non est, si naturam secleris complexionis. Abrupram autem esse diuisionem, ne, quod deest, producatur membrum, id vel myops viderit. Nimirum incredulus finaliter talis 1.) *vel* damnatur 2.) *vel* non. Si damnatur 3.) *vel* satisfactum est 4.) *vel* non. Si satisfactum est 5.) *vel* satisfactionem adplicat 6.) *vel* non. Cadit membrum 2. 4. 5. manet 1. 3. 6. Damnatur finaliter infidelis, quia praestitam pro impenitentia, eademque etiam finali, satisfactionem non adplicat. Haecenus itaque adeo manifesta non est disjunctionis in argumento Carpoiano rectitudo, vt demonstra-

tione

tione non egeat, quin potius eam, vt in Diff. Inaug. P. II. §. 37. etiamnum postulem,

§. 2.

Dixeram autem *l. c.* non differre hoc argumentum ab illo, quo C. R. *a negato fructu ad negandam acquisitionem concludunt*: atque, pro eo demonstrando, mutaueram illud in Syllogismum conditionalem, et deinde in categoricum primae figurae. Hunc repetit Vir Cel. et limitat. Repetam et hic adiecta ab illo limitatione. *Quicumque actu non saluatur, sed damnatur, pro eo Christus non satisfecit respectu illius peccati, propter quod stricte, et directe damnatur. Atqui finaliter impenitens non saluatur, sed damnatur. E. pro finaliter impenitente Christus non satisfecit, respectu illius peccati, propter quod stricte et directe damnatur, h. e. respectu impenitentiae vel ἀπιστίας finalis (siquidem omnia reliqua peccata non damnassent eum, modo abfuisset ἀπιστία finalis).* Ita nunc Vir Cel. doctrinae suae consentaneum esse confitetur, sed, quam eidem opposueram, Theologorum regulam, eam negat recto loco adplicari, intelligendam quippe de sola satisfactione pro peccatis contra legem operum. Et hoc ostensurus dicit: *Secundum sententiam sibi oppositam 1.) Christum finaliter ἀπιστίας, ut talibus, etiam acquisuisse salutem: cum tamen 2.) non saluentur. 3.) rationem esse debere in eo, quod post commissam ἀπιστίαν finalem non habeat locum fides, vel quia praestitam pro incredulitate finali satisfactionem respuant. Sic autem 4.) ad damnatos etiam pertinere fidem, vel 5.) dicendum esse, quod debuisset credere in hac vita finaliter infidelis 6.) si autem credidisset, non futurum fuisse finaliter infidelem et 7.) si talis non est, non egere satisfactione pro finali incredulitate. Nunc 8.) infert, non recte adplicari regulam supra dictam Theologicam ad incredulitatem finalem. Deinde 9.) repetit suam hypothesis: et 10.) prouocat ad argumentum, quod Christus noluerit immutabili decreto Dei, de damnando finaliter infideli, repugnare.* Ea sunt, quae ornato sermone profert Vir eximius. Ego singula colligere debui, ne sermonis specie obruatur lector. Quae prolatis infunt argumenta, ad ea iam satis responsum est, Da-

bo tamen aliqua pro illustranda sententia mea et opposita, et, ubi conducet, saepe dicta iterum adplicabo. Propositionem *primam* largior ita intellectam, ut ad actum in hac vita ultimum, non ad statum post hanc vitam, respiciatur. Satisfecit Christus pro finaliter ἀπίστω, qua tali, et in actu finalis incredulitatis in hac vita, etiam ultimo, constituto: non satisfecit pro finaliter incredulo in statu post hanc vitam constituto, qua tali. Conceditur etiam propositio *secunda*, quam expresse docet Scriptura Ioh. III. 18. 36. Marc. XVI. 16. 2. Thess. I. 8. Propositio *tertia* veritatem continet, quousque fidem post commissam ἀπίστων finalem (scilicet morte consummatam), adeoque in inferno, negat: falsa continet, quousque haec infidelitas, quae in futuro seculo ponitur, tanquam ratio damnationis vel allegatur, vel mecum sentientibus obtruditur. Ego potius distincte docui, ejusmodi ex sententia Cel. CARPOVII consequi *Progr. Mich. §. 8. n. 2. 3.* Damnatur finaliter infidelis, quia *in hac vita* non apprehendit Redemptoris meritum, secundum meam sententiam. E contrario, quia secundum CARPOVIUM impenitentia finalis est peccatum *post vitam* ponendum: finaliter infidelis autem propter impenitentiam eam finalem damnatur; damnabitur propter infidelitatem post vitam ponendam. *Quartam* propositionem ego plus decies expresse negavi. Videat autem Cel. CARPOVIVS, quomodo ipse negare possit, (*Conf. Pr. Mich. l. c. n. 4.*). Interim non possum non hic observare: dum quartam propositionem ex *tertia* elicit Vir Exc., eo ipso stabilire propositionem sibi contrariam, aut ratiocinatum esse ea methodo, quam ipse pro falsa agnoscere tenetur. Nimirum, quia propter infidelitatem, post finalem commissam, ponendam, damnari reprobos colligitur, inde porro inferitur, quod post commissam finalem infidelitatem, adhuc locum in ipsis debeat habere posse, s. ad damnatos etiam pertinere, fides. Eo ergo ipso statuitur, non posse infidelitatem, quae ratio sit damnationis, poni, nisi simul, licet falso in hac hypothesis, admittatur, loco ejus infidelitatis poni posse fidem. Ergo cum infidelitas finalis sit ratio damnationis, Marc. XVI, 16; Vir Exc. largiatur tandem, loco ejus

ejus potuisse in incredulo locum habere fidem, et tollat hinc, quae dixit Spec. XIII. §. XXII. Enimvero cum fides sine satisfactione nulla sit, largiatur tandem etiam, pro finaliter incredulo, in finalis incredulitatis, hujusque vitae, ultimo actu, confituito, hinc, qua tali, esse satisfactum: aut concedat ipsius illationem propositione *tertia* et *quarta* esse nullam. Sed salua res est a parte nostra. Propositiones 3. et 4. non tangunt sententiam, quae pro impenitentia finali satisfactum docet: verum admittitur propositio *quinta*. Satisfecit Christus pro impenitentia finali, *ut finaliter incredulus etiam in ultimo vitae momento credere possit et credat*, hinc finalem impenitentiam euitare possit et evitet. Hinc etiam conceditur *sexta*, quae per se patet. Negatur autem *septima*, ex rationibus centies allegatis, demonstratis. Sed ecurr, quaeso, sermonem mutat Vir eximius? Et cur pro eo, quod dixerat: *non fuisset finaliter impenitens substituit praesens: si non est, non eget satisfactione?* Neutiquam enim repugnat, ut, qui Redemptorem *apprehendere deberet, non adprehendat*, et, qui, posita adprehensione, *non esset infidelis, maneat talis, ea neglecta*. Sed parum interfit: pronuncietur *ita: non esset talis finaliter incredulus, per virtutem gratiae: gratia autem sine praesupposita satisfactione nulla habetur: satisfactio praestita est pro impenitentia naturali, quae non poterat non esse finalis, non esset ergo talis, virtute satisfactionis praestitae pro impenitentia finali: Ut itaque falsum sit, non eguisse satisfactione pro impenitentia finali*. Nimirum nisi pro impenitentia ipsius naturali, quae non poterat non esse finalis, satisfactum esset, ab ea non potuisset liberari, nec conuerticem gratiam obtinere, ut saepe dictum est. Vnde tandem adparet, frustra inferri *octauam* propositionem. Quamuis enim, propter impenitentiam finalem, quae illa ipsa est, pro qua, tanquam naturali, satisfactum est, non *adplicetur* satisfactio praestita, tamen ideo non sequitur *praestitam non esse*. Nec quidquam differentiae est, quod respectu impenitentiae finalis et respectu transgressionis legis operum finalis hic cogitandum sit. Quod addit Vir Cel. *nonum*, nihil potest causam

iuuare, et ad *decimum* iam data est responsio, Disp. 3. §. 17. Magno itaque labore contra stabilitam a me veritatem hactenus nihil proficitur.

§. 3.

Sed peruenitur tandem ad argumenti cardinem, disjunctiua membra euincenda, sunt: oppositio adaequata demonstranda est. Hoc nunc adgreditur Vir Exc. §. XV. l. c. Sed quomodo? Diuisionis meae restitudo admittitur, ast, quod a me positum erat, tertium, a Cel. CARPOVIO neglectum, non posse locum habere dicitur, quia, eoposito, Deus duplicem sumere posse poenam dicendus esset, alteram a vade, a peccatore alteram: quod concedi non possit. Huic autem iam satis respondi adeoque salva manet illius argumenti Carpouiani refutatio in *Diss. Inaug. P. II. §. XXXVII.* suppeditata. Videamus ergo: an subjecta huic paragrapho Specim. XI. a Viro Cel. ad germanicum epitome meae Dissertationis observatio aliquid pluris habeat? Habet profecto. Argumentum est sequens: *Si adprehensio meriti Christi, facta in hac vita, est conditio obtinendae salutis paratae; sequitur, quod pro adprehensionis illius negatione finali non possit esse satisfactum.* Facile videt Lector, me consequentiae probationem postulaturum. Et ecce! exhibet eam Cel. CARPOVIVS quam non exspectasses. Quid autem exhibet? *Propositionem eandem inuersam per contrapositionem.* Si enim non, inquit, non poterit adprehensio meriti Christi in hac vita esse obtinendae salutis paratae conditio. Ecquis vero Logicus eam reputabit demonstrationem? Ad minimum propositionis conuertentis consequentia aliunde demonstranda erat: quo neglecto, sane nihil dicitur. Illustrat autem rem Vir Celeberrimus exemplo. Homo, inquit, beneficus soluto pretio seruum quendam redimit, ea conditione, vt durante quadrantis anni intervallo redemptionem acceptet is: quo negato, maneat in seruitute. *Quis nunc, ira loco demonstrationis quaerit Vir Exc. dicturus esset, absurde, pro rejectione simul esse solutum? Ecce vero quaerit? Sane, quia non esse solutum, aut solutum esse absurde dici, demonstrare non poterat.* Eam enim inuenies disputandi artem, vt, vbicunque

que hypotheses falsas demonstrare nequeunt, loco desideratae demonstrationis quaestiones moliantur earundem Auctores. Caeterum nondum satis determinatum erat exemplum. Proposui aliud simile magis, atque exinde vel refutari contra sentientes, vel saltem pro sua hypothesi nihil quidquam probare posse, docui *Diss. 3. §. 18.*

§. 4.

Nouum consequitur argumentum *l. c.* *Si pro impenitentia finali facta est satisfactio, necessum est, eam in hac vita adprehendere debere finaliter incredulum.* Rectissime! concedo eam propositionem. *Si necessum est satisfactionem in hac vita adprehendere debere finaliter incredulum; sequitur, quod eo ipso non sit finaliter incredulus, quia eam adprehendit.* Sistet, velim, cursum, accelerata demonstratio! Probetur propositio modo prolata. Ideone quia acceptare *debebat*, est *fidelis*? Neutiquam! ne improbi cum fidelibus eandem participent sanctissimam fidem! Cum itaque propositio fallat; fallunt consecraria, *quod satisfactione pro infidelitate finali non egeat infidelis, nec satisfactionis acceptatione opus sit.* Quae etiam ex alio fundamento fallere jam §pho 3. docui.

§. 5.

Dabimus etiam aliud, quod ex prolatis *l. c.* formari potest, *Cel. CARPOVII* argumentum. *Si pro impenitentia finali satisfactio data est, sequitur finaliter impenitentem eam acceptare debere vel in hac vita vel post hanc vitam.* Posterius consequentis membrum falsum est, quod conceditur. *Est vero etiam prius consequentis membrum falsum, quia in hac vita nemo est finaliter incredulus, sed demum post hanc vitam: fit enim illud per mortem.* Ergo remoto toto consequente, remouendum est antecedens, consequenter pro impenitentia finali non est satisfactum. Ego vero jam saepe demonstraui, falsum esse, cum dicitur, *neminem in hac vita esse finaliter infidelem*, et ex opposito demonstraui *omnem finaliter infidelem, esse finaliter infidelem in hac vita.* Per actum enim infidelitatis in hac vita vltimum fit et est finaliter infidelis (*Conf. Progr. Mich. §. 4. §.*) quod etiam

etiam inde patet, quia, non posito in ultimo hujus vitae momento infidelitatis actu, neququam finaliter incredulus dici possit. Cum itaque prius consequentis membrum nullatenus falsum est, nec potest antecedentis falsitas concludi.

§. 6.

Pro pallianda hypothefi mihi opposita deinde additur: *Possibilitatem conuersionis de finaliter infideli negari non posse, quousque in hac vita infidelis esse concipitur.* Enimuero illa possibilitas conuersionis nonne, negata fidei possibilitate, expresse negata fuit, dum fidei *possibilitas in actu* finalis impenitentiae, qui necessario in hac vita ponendus est, negabatur? *Conf. spec. XIII. §. XXII. et Diff. I. §. 9. 15.* Sit tamen uti pronunciatum est: *Subsumo: Atqui in ipso ultimo hujus vitae et infidelitatis, ad hanc vitam pertinentis, actu (per quem finaliter infidelis est talis) constitutus finaliter infidelis, in hac vita infidelis esse concipi debet.* Ergo *Possibilitas conuersionis etiam tum, cum ultimo infidelitatis actu, quo finalis ea est, vitam claudit, finaliter incredulo concedenda est.* Nunc concedi ea nequit possibilitas fidei s. conuersionis, nisi pro illo etiam ultimo actu sit satisfactum. *Concedendum ergo tandem erit pro impenitentia finali esse satisfactum.*

§. 7.

Vlterius Vir Exc. satisfactionem distinguit in eam, quae facta est pro transgressione legis operum, et eam, quae facta est pro finali transgressione legis fidei. Hanc praestitam non esse dicit. Ergo infidelitatem, quae eam, quippe nullam, rejicit, non damnare hominem, damnare autem infidelitatem finalem, quae satisfactionem rejicit praestitam pro transgressione legis operum. Hic ego I.) quaero, an Vir Exc. intelligat transgressionem legis operum *finale*? nec ne? Si affirmat: ipsa vero illa transgressione legis operum finali posita, ponitur impenitentia finalis: nec vlla est realis differentia, quae attentionem in hac materia mereatur; concedere tenetur factam pro impenitentia finali satisfactionem. Si negat: Particula-

ticularismus realis manifesto futurus esset. *Conf. Progr. Pent.*
 §. 25. II.) Infidelitatem, qua rejiciatur satisfactio praestita
 pro transgressione legis fidei finali, non damnare, dicit, eo
 quod satisfactio illa nulla sit. Recte ergo dixisset etiam illam
 infidelitatem nullam esse, objecto scilicet destitutam. Sola
 ergo remaneret infidelitas finalis, qua rejicitur satisfactio prae-
 stita pro transgressione legis operum, eaque (per dicta n. I.)
 finali. Enimvero ea infidelitas finalis a transgressione legis
 operum finali realiter non differt, quin ipsa hac ponatur. Quare
 cum pro hac satisfactum admittere debeat particularismum
 realem euitaturus (*Conf. Pr. Pent. l. c.*); statuere tenetur satisfa-
 ctum pro infidelitate finali, qua satisfactio pro transgressione
 legis operum finali rejicitur. Atque sic tandem per plurimas
 deviationes reditur ad eundem scopum, ad tramitem eundem,
 quem *Diss. Inaug. P. II. §. XXXIX.* et *Disp. 1. §. 12. et 14.* osten-
 di. Vna est satisfactio, quae pro transgressione legis operum
 et legis fidei praestita est, vna est fides, quae illam totam am-
 plectitur, et una est infidelitas, quae totam rejicit. Caeterum
 non possum facere, quin hic reperam ea, quae passim de di-
 stinctione satisfactionis et legis, in hac materia perperam adhi-
 bita, dicta sunt. In iisque hic subsisto, quia non novum ar-
 gumentum Cel. CARPOVIVS, verbis, quae circa versamur,
 proposuit, sed solummodo, quid sentiat, edisseruit, et expli-
 cuit. His, quae hactenus refutaui; addit tandem Exc. Vir ar-
 gumentum a duplici poena neganda desumptum, et objectio-
 nem progressus in infinitum. Cum autem de priori jam satis
 actum, de posteriori in sequentibus judicandum sit; Plura
 non addimus, quibus, hactenus prolata a dissentiente Viro
 Doctissimo non valere quidquam, pro firmanda hypothesi,
 contra euctam veritatem, merito debet sufficere.

§. 8.

Cum *Spho XXXVII. P. II. Diss. Inaug.* circa illud argu-
 mentum versatus addidissem, *Scripturam damnationis rationem*
universaliter ponere in infidelitate, a deoque in defectu Redemptionis ean-
dem

B

dem ponere non licere. etiam contra hoc obmotum defensionem suam fuffit Cel. CARPOVIVS Spec. XI. §. XVI. Omnia ad tria redeunt 1.) nihil juuare, hominem redemptum esse, si redemptionem fide apprehendere non liceat, hoc autem post mortem finaliter ἀπίστω non licere. 2.) Cum itaque, qui in hoc ultimo cum ipso sentimus, non rejiciamus culpam in Deum; nec id fieri per sententiam Carpouianam, de negata, pro infidelitate finali, satisfactione. 3.) quoad hominem perinde esse, siue Redemptio praestita non sit, siue eam acceptare non liceat. Quantum autem ad primum; redit argumentum, a negato fructu. culpa hominis, ad negandum satisfactionem; quod argumentum jam saepe rejectum est. Quoad autem secundum; ingens est omnino differentia. In sententia enim nostra praestitum a Deo est, quidquid praestandum vlla ratione concipi potest. In sententia opposita nihil eorum, quae tamen fieri poterant respectu Dei, praestita sunt. Satisfactione enim pro impenitentia finali deficiente, deficit conuertrix gratia, et deest fidei possibilitas, vt saepe dictum est. His vero omnibus positis, quemadmodum ab iis, qui mecum sentiunt, ponuntur, manifestum est, culpam solam esse in homine. Vnde discrimen, quod inter nostram et Cel. CARPOVII sententiam intercedit, est euidentissimum. Tertium, si de statu hominis post hanc vitam sermo est, conceditur; negatur autem de eo esse quaestionem, quin potius abunde euietum sit, de homine, in hac vita versante, disputari. Quo notato, respectu hominis neutiquam perinde esse, quod ita sumitur, id vero abundanter demonstratum est. Diff. 2. §. 7. ff. Sunt itaque etiam haec Viri Doctissimi se defendendi molimina ita instituta, vt effectu careant.

§. IX.

Reposuit etiam pauca illis, quae modo vindicaui, Clarissimus Obseruationum et Dubiorum Auctor *Obs. et Dub.* §. IV. β) p. 26. cumque Cel. CARPOVIO opposuissem canonem Theologorum, eundem ita limitat, a negata adplicatione (actuali) ad negandam acquisitionem non valere consequentiam: contra

tra a negata adplicatione (*possibili*) ad negandam acquisitionem omnino valere consequentiam. Refert itaque se ad ea, quibus in antecedentibus fidei impossibilitatem, quoad finaliter incredulum, demonstrare nixus est: quibus quidem cum a nobis satis responsum sit *Disp. 3. §. 2. ff*; hic ea repetere superfluum foret. Quando porro *tertium* argumento *Carpouiano* disjunctivo addidi: illud quidem *Auctor Obs. et Dub.* adprobat, inde tamen non sequi dicit, quod pro incredulitate finali satisfactum sit. Lapsus est logicus. Non enim hoc eo addito volui demonstrare, sed argumentum *Carpouianum* defectus arguere, adeoque ejus valorem infringere. Cum itaque contra *tertium* in argumento deficiens, et a me exhibitum, nihil monendum inueniat; salua res est. *Medicum*, autem, contra medicinam accipiendi voluntatem, nihil praecipientem, quem denuo producit *Vir Clar.*, jam saepe intelleximus aegrotae caussae nihil quidquam medelae ferentem: quare nunc, vt quondam, dimitimus. Quando tandem dicit *Vir Optimus*, *satisfactionem Christi, pro peccato Originali, et omnibus actualibus peccatis, finaliter increduli, omnibusque illorum confectariis ordinatam esse, sed non pro continua medicorum gratiae refectione*; id profecto tum erit verum; cum, supposito statu hujus vitae, non esse hanc peccati originalis et actualium peccatorum confectarium, demonstratum erit, quod quandonam demonstrari possit, noherit ipse *Auctor Observationum et Dubiorum* callidissimus.

§. 10.

Cel. CARPOVIVS ad euincendum, satisfactionem pro impenitentia finali praestitam non esse, vsus erat argumento *tertio*, eodemque apagogico, quod stante opposita sibi sententia dicendum sit, Christum voluisse efficere, vt factum physice et moraliter alienum per imputationem fauorabilem homini in salutem cedat: hoc autem dicendum non esse. Ego limitatione argumentum sustuleram in *Diff. Inaug. P. II. Pol. §. XXXVIII.* distinguendo factum quod physice et moraliter homini est alienum, a consideratione ejus, quatenus tale sumitur. *Priori mem-*

bro adplicato negaveram *minorem*, adeoque stabiliueram propositionem, quod omnino Christus satisfactione sua voluerit efficere, ut factum, quod et physice et moraliter sit homini alienum, huic cedat in salutem: negaueram autem si consideretur factum quatenus tale, quia scilicet imputari non possit, nisi, fide adplicatum, possit considerari tanquam hominis proprium. Cel. CARPOVIUS illam distinctionem negat apte posse adplicari. Praemittit autem aliqua pro declarando argumento suo. Sequendum est, quo ire placuit Viro, quaquaersum, quod causam iuuare possit, acute circumspicienti. Considerabimus ergo, quae defensionem, quam tentauit, argumenti praemisit. Primo quaerit: si ponatur illa satisfactio: quo fine ea facta sit? et secundo respondet, non alium posse finem esse, quam ut, quamuis ἀπίστω finalis adsit, ea tamen obtentionem salutis non impediatur. Idemque esse, tertio adseuerat, quod absurdum esse dixerit. Declaratione, quantum ad me, non opus erat, quia mentem ipsius jam bene perceperam antea, nec responsione mea, quondam data, quidquam permixtum dederam. Nunc autem notabo circa eam declarationem pauca. I.) Quando quaeritur de fine, si vel maxime nihil responderi posset, inde prorsus non posse quidquam inferri pro neganda causa, de cuius fine quaeritur, cum illam Scriptura Sacra satis distincte doceat, (locis in Diss. Inaug. abunde citatis, Progr. Pent. Pr. Mich. et Disp. I. contra obmota vindicatis) et nos doctrinis reuelatis contentos esse deceat, quamuis nulla sit finium nostra cognitio. Rom. XI. 33. II.) Quoad autem praesentem causam de finibus quaerere superfluum esse, cum finem aperte doceat Scriptura Sacra, scilicet, ut ab impenitentia finali liberetur homo, qui per corruptionem suam non poterat non esse finaliter impenitens Luc. I. 71. 74. 75. 77. 74. Tit. II. 14. al. In eo ergo subsistendum et novos fines non esse fingendos. III.) Quod si itaque verba superius citata: quamuis ἀπίστω finalis adsit, ita intellecta vult, ut ἀπίστω finalis, quae per naturam corruptam non poterat non consequi, obtentionem salutis non impediatur, sed per gratiam conuertricem in hac tamen vita auferri possit: omnino consentientem me habere

bere Virum Exc. dum est sibi ipsi contrarius. IV.) Quodsi autem verba illa ita intelligit, vt impenitentia finalis, morte iam consummata, non impediatur, quo minus peccator, sub voluntate consequente iam constitutus, et vere iam damnatus, salutem obtineat; eum fictum esse finem et nequaquam ponendum. V.) Ad eum autem fictum finem delapsum esse Virum Exc. propter falsum principium argumenti primi, de duplici poena non sumenda, quod superius falsum esse demonstraui VI.) Cum itaque errorem peperit error, refutato vno concidere alterum. VI.) Nec vlli, qui pro impenitentia finali satisfactum docet, ejusmodi finem (n. IV.) potuisse in mentem venire, nisi Apocatastasis defensori VII.) Nec tandem vnquam a Cel. Auctore illius finis demonstratum esse, aut demonstrari posse, quod, posita satisfactio pro impenitentia finali, vt est peccatum hujus viae, spectata, ille fictus finis adsumendus sit. IX.) Sed potius in eo, quem modo (n. II.) dixi, subsistendum esse. Cum autem illius finis imaginarii (n. IV.) demonstrationem nectit *Vir Praecell.* statim in prima propositione grauer impingere, dum: *quia Deus, inquit, vnum peccatum punire nequit poena duplici, vtraque peccato aequali, ex satisfactione Christi pro incredulitate finali hoc bonum fluit ex parte hominis finaliter increduli, vt hic ob incredulitatem finalem (scilicet morte consummatam) damnari nequeat.* X.) Namque hoc tum demum sequeretur, cum finalis incredulus satisfactio- nem fide acceptaret. Quod cum sit falsum; falsa non modo consequentia propositionis est, sed falsum quoque, quod, negata acceptatione satisfactionis fideli, duplicem Deus sumere poenam nequeat: quemadmodum e contrario verum est, Deum, posita acceptatione fideli, non posse salua iustitia acceptantem punire, quia non potest poenam duplicem sumere acceptata altera et imputabili quidem. XI.) Cum ergo illud bonum finaliter incredulo non fluat ex satisfactione, nec hoc imaginarium bonum potest esse finis Dei, nec a Deo finaliter incredulo satisfactio Christi imputari, vt illud imaginarium bonum obtineatur, neque hinc factum moraliter alienum *quatenus tale imputari, nec Christus voluisse, vt factum moraliter alienum quate-*

nus tale, peccatori imputetur: quae cuncta nimium praecoci illatione proferuntur a Cel. CARPOVIO. Vnde falsa denique est alicujus absurdi ex opposita Viro Exc. sententia collectio: consequenter etiam falsa falsitatis oppositi illatio. Ex opposito autem XII.) Christus satisfecit pro *impoenitentia* hominis, in statu miseriae, ex lapsu, constituto, *sua natura*, in homine ex se, et abstrahendo a Redemptore, considerato, *non alia, quam finali*, vt, adprehensa satisfactione Redemptoris, ab illa impoenitentia finali possit liberari, atque sic saluari. Hic ergo finis est, quem Christus vtique etiam ratione finaliter increduli voluit obtinere. Non autem potuisset obtinere, adeoque nec velle obtinere, nisi pro impoenitentia, quae sua natura non poterat non esse finalis, satisfecisset: quemadmodum ille finis nec potest nec debuit obtineri ratione status post mortem, ideo, quia pro eo satisfactum non est. Adeoque necessario debet satisfactio facta esse pro impoenitentia hominis miseri, quae sua natura non poterat non esse finalis. In eo semper manendum est tramite, quem jam saepe monstraui. Et tanto magis manendum est, quia de infidelitate temporaria, id est tali, quae, fide secuta, cessat, cogitari nequit, *ante constitutam satisfactionem*, pro incredulitate peccatoris, sua natura, finali, *quae fidei objectum esse*, per eandemque acceptari possit. Conf. sis, quae diximus Progr. Mich. §. 13. 14.

§. II.

His praenotatis et ad praemonita Cel. CARPOVII allatis, ad reliqua facilis erit responsio. Is enim adplicatam meam ad argumentum ipsius limitationem in illo dicit ineptam. In demonstratione autem ineptam esse apte non euincit. Sic enim hoc demonstratum vult, vt quae, per duplex immistum epichrema, sparsum protulit, in vnum colligam Soritem: *Si Christus* pro impoenitentia finali satisfecit; pro finaliter incredulo, qua tali, satisfecit: *si* hoc; voluit efficere, vt finaliter incredulus, qua talis, finalis incredulitatis causa non damnetur: Si hoc voluit efficere; voluit efficere, vt finalis incredulus, qua talis, saluetur: consequenter vt factum (scilicet satisfactio pro *causa* finali

finali praestita) physice et moraliter, ad extremum usque habitum, alienum, ipsi tamen in salutem imputetur. Si illud voluit; efficere voluit, vt factum ipsi physice et moraliter alienum, qua tale, imputetur in salutem. Ergo si Christus pro incredulitate finali satisfecit, voluit efficere, vt factum physice et moraliter incredulo alienum, qua tale, imputetur ad salutem. Quare cum prius a me statuatur, etiam posterius ponendum esse, atque hinc limitationem inepte adplicari. Mirum dictu! At vero quis non videt, intermixtos novos errores non potuisse abesse, siquidem quod falsum est demonstrandum sit? Sequar seriem hujus demonstrationis et ad singula respondebo. *Primam* Soritis propositionem ego facile admitto recte intellectam. Nimirum, quemadmodum impenitentiam finalem millies dixi, docui, demonstraui, hujus viae esse, ita peccatorem, etiam finaliter incredulum, qua talem, intelligo viatorem, et in vltimo, hujus viae vitaeque, et incredulitatis hujus seculi, actu constitutum. Ita intellectam propositionem ambabus concedo. Adde tamen hoc debui, quia quotiescunque Vir Exc. illam: *qualis*, determinationem finaliter incredulo addit, lubricus is est, et mox hujus vitae actum, mox actum post mortem, innox actum in statu, nescio quo, intermedio, intellectum vult. Ne ergo sagaci lubricitate elabatur cautum sistere debui. Concedo itaque hanc ita determinatam propositionem; nulla enim de statu post hanc vitam pugna est. *Secundam* propositionem pariter determinabo: voluit Christus efficere, vt finaliter incredulus finalis incredulitatis (*scilicet fide in Christum, si vel maxime in vltimo vitae habitu, deserendae*) causa non damnatur. Ita pariter etiam illam propositionem concedo. Namque omnino Christus sua satisfactione effecit, vt homines, qui naturaliter erant in infidelitate, quae per se non poterat non esse finalis, propter eam non damnentur, voluit autem etiam efficere, vt ab ea liberentur, eamque per gratiam deserere, et, vel in vltimo vitae actu, deserere possint, et actu deserant. Quod si vero parenthesis a me propositioni suae additam nolit Vir Ingeniosissimus, & finalem incredulitatem, iam morte consummatam, intelligat, pro-

positio-

positionem nego propter effatum clarissimum. *Job. III. 18.*
Marc. XVI. 16. Nego autem simul, quod ea ex praecedenti,
 prout eam ego admisi, consequatur. Loquitur enim ita in-
 intellecta de statu peccatoris post mortem, cum prior illa pecca-
 torem consideret in vita. Quemadmodum itaque ab hoc statu
 ad illum consequentia non valet, ita nec a priori propositione
 ad hanc valet consequentia. Illam autem, quam propositioni
 addidi, limitationem, addendam esse, docet et natura rei et Scri-
 ptura Sacra. Diferte enim Servator ordinem fidei praeponit
Job. III. 16. ut simpliciter posita propositio, quemadmodum
 a Cel. CARPOVIO posita est, nullatenus admitti possit. Debuit
 autem a Viro Cel. simpliciter illa enunciari, propter simul
 assumptum falsum principium, de duplici poena non sumenda,
 Quid autem videtur: Christus satisfactione sua effecit, vt blas-
 phemus propter blasphemiam non damnetur: Num dicetur
 recte ita simpliciter enunciata sententia? Neutiquam! Ex Ser-
 uatoris ore addendum est, vt blasphemus blasphemiae (scilicet
 fide in Christum, si vel maxime in vltimo vitae halitu, dese-
 rendae) causa non damnetur. Instantiae loco quodlibet aliud
 exemplum peccatorum hujus vitae poterit inferuire. Et natura
 rei requirit, non posse Deum imputare meritum Redemptoris,
 nisi posita fide, loco peccati, vel habitus peccandi: nec potuisse
 Christum, non damnari improbum, voluisse, nisi sub ordine
 fidei. Vt lubricam intelligas Viri propositionem et indetermi-
 natam. *Tertia* propositio horrida est, et terrorem facile incu-
 tiat legenti: Animus, nescio quis, semper requiritur ad necen-
 dum ejusmodi consequentias! Vnicum quaeso, ponderet quis-
 que: Pro adultero, qua tali, satisfecit Christus: Ergone *adul-*
terum, qua adulterum, nulla facta fidei mentione, *voluit saluari!*
 Ohe! quid sibi vult istiusmodi consequentiarum farrago, salti-
 bus ex saltibus formatis, et nexu quaquaversum omissio! For-
 mabo ergo iterum eam propositionem tertiam ita, vt ex prio-
 ribus, a me concessis, sequitur, et erit talis: voluit efficere, vt
 finaliter incredulus, (deserta, per fidem, vel in ipso vltimo vitae
 halitu, incredulitate) saluetur. *Quarta* propositio eadem limi-
 tabitur

tabitur ratione, ac secunda, et tertia, et sic formata ex prioribus consequetur: nulla alia ratione. Ex qua quomodo nunc *Quinta* sequatur, videat ipse Vir Celeberrimus. Namque nihil ulterius consequitur, quam quod voluerit satisfaciendo efficere Christus, ut homini finaliter incredulo, *qua tali*, id est, *in actu hujus vitae ultimo aduocatum constituto*, factum, quod physice et moraliter alienum est, fide adprehenso, vel in ultimo vitae halitu, Redemptore, fiat proprium, et sic, quod moraliter alienum est propter infidelitatem, non *quatenus* alienum, *imputetur*, sed *quatenus proprium* factum per fidem. Nulla itaque est in toto seriore propositio determinata, consequentia nulla, sed summa mista profundis habentur ubicunque.

§. 12.

At si ista, inquis, est mens; omnino ponuntur contraria vel Scripturae vel sibi ipsis. Videamus de singulis. Quantum autem ad primum attinet, *quasi dictis*, quae Cel. CARPOVIO opposita sunt, *ponantur*, quae *Scripturae contrariantur*; in eo, quae adseruit Vir Cel., cuncta redeunt ad objectionem *ἀποκατάστασις αὐτοῦ*. Ea vero per se corrui: dum a nobis non extenditur satisfactionis objectum ultra hujus vitae terminos, nec adprehensio satisfactionis ponitur post hanc vitam, vel a Deo intenta, vel in ipso subjecto possibilis: quin potius vtrumque a nobis perfecte negetur. Imputatio CARPOVIANA, qua nos adgreditur, nititur quoque falso principio, quasi a nobis statuarur, conuertricem gratiam acquisitam esse illi, qui in infidelitate *mortuus est*. At hoc frustra imaginatus est Vir Cel. ex supposita falsa notione impenitentis finaliter talis, quasi is non posset dici, nisi vita jam morte finita: quod negavi, docens, respiciendum esse *ad ultimum hujus vitae actum*, in quo impenitentia finalis committitur. in eodemque, ad hanc vitam pertinente, quaerendum esse *reatum*, qui etiam *post* hanc vitam super improbo manet. Cum itaque finaliter impenitentem ex actu, ad hanc vitam pertinente, consideremus, non ex statu post illam; nec gratiam conuertricem ad hunc statum referimus, sed solummodo ad hanc vitam: adeoque male constitutas notio-

C

nes

nes finaliter increduli nobis obtrudi non patiemur: iisque re-
jectis, jam per se corrui friuola ἀποκρίσεως, objectio.

§. 13.

Quantum ad alterum spectat, quod *sibi ipsis contraria* a nobis ponantur, dum diximus: *Christum pro incredulitate finali satisfacisse, ut ne homo in ea maneat, sed in hac adhuc vita conuertatur*, illud ita euincit: Si enim, inquit, fide adprehenditur in hac vita factum alienum, (satisfactio Christi,) sicque fit, imputatione, homini moraliter proprium, homo non amplius est finaliter infidelis, sed fidelis, adeoque pro incredulitate ejus finali, quippe quae non existit, satisfactione non erat opus: Vnde sibi ipsis contraria ponuntur: Quid hoc? Num quid ego dixi, quod finaliter incredulus satisfactionem pro se praestitam fide adprehendat? Nullibi hoc dictum est. Nullibi ergo contradictio. An vero in eo haeret contradictio, quod adseritur, satisfactionem esse praestitam pro peccato, quae non applicatur? Eam adpellare contradictionem, omnino est, si quae alia, Calviniana sententia, quae hinc pro nullis nisi electis satisfactum docet, quia his, non reprobis, satisfactio applicatur. Atque si in illo altero contradictio haeret, necessum habet Vir Exc. ut statuat, pro nullo reproborum improbae vitae peccato satisfactum esse. Dixi autem, factam esse satisfactionem pro impenitentia finali (quae quippe, pro statu misero, in quem per peccata prolapsus erat, toti generi humano erat naturalis atque communis), ut homo ab illa posset liberari, et pro se, in statu miseriae constituto, omnibusque suis peccatis ad hoc seculum pertinentibus, adeoque etiam pro impenitentia, quam non poterat non ex se spectatus custodire, finali, praestitam satisfactionem acceptare. Namque, non posita, pro ea, satisfactione, impossibilis erat ex eadem liberatio, (quemadmodum pluribus docui *Pr. Pent. Pr. Mich. et Diss. 3.*) atque frustra dicitur, velle Deum, ut etiam in ultimo vitae momento moriens conuertatur, pro quo quippe nulla posita esset satisfactio. Cel. CARRO VIVS in eo nobis maxime peccare videtur, ut dimensionibus

bus in hac materia nimium quantum tribuat. Arripit momentum fidei, ad illud usque momentum satisfactionem refert, non ultra: indeque enata est ejus sententia de satisfactione pro impenitentia *temporaria*, quae tamen, nisi fide jam posita, hinc convertrice gratia, ejusque acquisitione, consequenter satisfactione, praeposita, nulla est. Non attendit, etiam fide posita remanere in ipsis fidelibus ad usque ultimum hujus vitae momentum, pro quo satisfactum esse confitendum sit. *Ebr. XII. 1. Ps. XIX. 13. 1. Job. II. 1. 2.* Non attendit ex impenitentia finali liberationem non dari nisi pro ea satisfactum sit *Rom. VIII. 2. 3.* Non attendit, pro hominibus in statu miseriae constitutis, qua talibus, satisfactum esse, non pro iis, sub gratia constitutis, qua talibus, *Rom. V. 8. 10.* Non attendit, ex hoc tamen solo gratiae, per satisfactionem jam praesuppositam paratae, statu, esse, ut fides infidelitati succedat, et temporaria haec fiat *Job. VI. 24. sq. Col. II. 12.* Non ergo attendit, quod infidelitas temporaria, non quatenus est temporaria, sed quatenus homini lapsa est naturalis, et non poterat non esse finalis, sit objectum satisfactionis. Non attendit, quod, si pro alia impenitentia, quam temporaria, satisfactum non sit, in finaliter autem infidelibus tantum non omnibus non sit infidelitas temporaria: inde prono alveo fluere, pro nulla reproborum impenitentia esse satisfactum: manifesta ad Calvinianorum particularismum via. Non denique attendit, quamvis finis non obtineatur, bene tamen hunc poni potuisse, adeoque et rem, cujus finis ponitur, propter negatam finis intenti existentiam, non esse negandam, sed illam, non obtento fine, vere intento, merito et sine contradictione poni.

§. 14.

Sed habet Vir acutissimus, quod his reponere possit: Postquam Christus homini gratiam convertricem acquisivit, fieri quidem, ut homo ad Christum conversus finalem incredulitatem evitare queat, at vero hoc non esse idem, ac si dicam, quod Christus satisfecerit sanguine morteque sua pro incredulitate finali, sicque eam expiaverit. Expiationem enim finalis incredulitatis supponere, eam esse commissam, quam non committat,

mittat, qui in Christum credit, hinc ejus expiatione non opus sit. Velim pauca ad ea obseruentur. Primo vtiq̃ue Christus, acquirendo gratiam conuertricem effecit, vt homo ad Christum conuersus finalem incredulitatem, possit euitare. In eo ergo facile consentimus. Sed de eo quaeritur: *An hoc efficere Christus, an conuertricem gratiam, ne finaliter incredulus homo sit, acquirere poterit, non praestita, pro delicta finali, satisfactione?* Et hoc quidem a me negatur, a Cel. CARPOVIO affirmatur. Affirmatiua illa probanda erat, probata est nunquam: et ne tetigerunt quidem illam quaestionem Domini contra me disputantes. Ego vero saepissime dixi, in statu, pro quo satisfactum non est, in peccatore non posse poni fidem, quae quippe careret objecto; adeoque etiam pro eo statu, in quo ponitur in peccatore fides, debere esse satisfactum, et, satisfactione pro illo statu negata, necessario in illo statu manere debere consecretaria lapsus naturalia, hinc impenitentiam: idemque ad impenitentiam finalem, vltimum hujus vitae actum, saepissime adplicauit. Demonstrat tandem, quaeso, Vir acutissimus, fidem nihilominus poni posse in statu aliquo peccatoris, quamuis pro eo satisfactum non sit, si potest id euincere! quod nunquam praestabit. *Secundo.* Quousque propositio: *Christus satisfactione sua effecit, vt homo ad Christum conuersus finalem infidelitatem euitare possit,* cum hac: *Christus satisfacit sanguine mortisque sua pro incredulitate finali, eandemque expiauit,* coincidat, hoc ex illis iudicari potest, quae dicta sunt *Progr. Mich. §. 13.* vbi scilicet ostensum est, propositiones ita connexas esse, vt, vna posita, ponenda altera, negata vna, altera sit neganda. Ad ea itaque, quae ibidem proposita sunt liceat nobis hoc loco Lectorem remittere. *Tertio,* quod expiatio finalis incredulitatis supponat eam esse commissam, certo sensu verum est, alio falsum. *Falsum* inquam, si vere iam existentem, et morte consummatam, supponas. ante, quam ejus expiatio existat, alias enim expiatio per Christum facta non posset referri ad alios, quam qui ante expiationem factam in incredulitate, iam ante commissam, fuerunt: *falsum* etiam est, si eo sine ponas, vt postquam morte

con-

consummata est, etiamnum fide capienda sit ejus expiatio: *falsum* tandem est, si ita commissa sumitur, ut, pro eorum, qui fide Christum amplectuntur, *impoenitentia naturali*, quae non poterat non, in statu corruptionis, et ante Redemptorem concessum, spectata, esse finalis, satisfactum non esse, statuatur. Verum autem est, expiationem finalis incredulitatis eam commissam supponere, quousque per Deum, quae futura erat, tanquam vere futura, imo tanquam vere jam commissa, spectari potuit in decreto de dando Redemptore et constituenda expiatione. Verum est eo sensu, ut citro retro ad omnes lapsos extendatur expiatio, quousque in hac vita versantur, homines Apoc. XIII, 8. Verum est, quousque Deus totum genus humanum, cum omni sua hujus viae vitaeque miseria, ex lapsu, abstrahendo a Redemptore, oriunda, hinc cum continua, naturali, et ad vitae finem necessario, per naturam corruptam, se extendente, omnis boni spiritualis auersatione, et hinc impenitentia, quae non poterat non esse finalis, sibi repraesentavit, et pro hoc peccaminoso toto statu satisfactionem constituit, et expiationem. Atque hoc sensu jam saepe diximus, praestitam esse satisfactionem pro impenitentia finali, quae vere in statu illo miseriae tanquam certo ponenda, tanquam commissa, considerabatur et considerari debebat. Qui aliter sentit, fidem satisfactioni praeposit, et solis fidelibus destinatum Redemptorem arguere debet: quod absit. Quarto; hinc intelligitur, cur, qui in Christum credit, expiatione impenitentiae naturalis, quae non poterat non esse finalis, opus omnino habuerit, et sine ea expiatione a finali impenitentia liberari, ejusque impenitentia in temporariam mutari, non potuerit. Quinto denique Benevolum Lectorem rogitatum volo, ut hic conferre velit, quae Progr. Mich. §. 14. et 18. largiter proposita sunt, hic omnino adplicanda.

§. 15.

Infero porro contra Cel. CARPOVIVM l. c. *Si Christus non satisfecerit pro infidelitate finali, nec potuisse velle, ut locum pro ea habeat in illo subiecto fides. Posterius falsum. Ergo prius, Ad haec*

eadem regerit Vir Cel. Nimirum voluisse Christum vel vt post mortem credat finaliter infidelis, quod repugnet Scripturae: vel voluisse, vt in hac vita credat: sic autem non esse finaliter infidelem, nec adeo pro ipsius impenitentia finali satisfactione opus fuisse. Iisdem repetitis aliquid noui reponam non opus est. Sufficit responsio modo data *Spho* praecedenti. Velim tamen Vir Cel. obseruet: non aequipollere haec duo: *Christus voluit, vt finaliter impenitens in hac vita credat, et finaliter impenitens in hac vita actu credit.* Adeoque non posse ex illa propositione elici, *quod non sit finaliter impenitens*, adeoque *contradictio adfit*, quod ex posteriori quidem non ex priori propositione eliciendum esset. *Posteriorem autem ego nunquam adserui: vnde illatio est de nihilo.* Quando porro subinde repetita est adseruitio: *Si credidisset finaliter impenitens in hac vita; non fuisset finaliter impenitens.* Ergo *pro impenitentia ejus finali non opus fuisset satisfactione.* Rogo, vt ad sequentia jam saepe reposita, attendatur: est enim in hoc puncto, meo quidem tenui iudicio, quod controversiam tangit, cardinale quoddam. 1) Anteuertitur causa. De fide enim, quae efficit, vt non sit finaliter impenitens homo, quando quaeritur de objecto satisfactionis nulla est mentio facienda. Objectum satisfactionis est homo miser, in omnibus lapsus confectariis constitutus: qualis quaeso? an in Christum credens? neutiquam, nondum enim consideratur tanquam habens Redemptorem, sed tanquam lapsus peccator, a bono omni spirituali alienus, impenitens, et pro statu, in quo nunc considerandus est, ad finem vitae, adeoque finaliter impenitens futurus. Heseck. XVI. i. 2. sq. Num ab hoc, vt tali spectato, sine Redemptore, poteris separare impenitentiam finalem? Dicas quaeso, et nihil quidquam mutet in quaestione? Certissimum est, quaestionem esse negandam: pertinet enim etiam impenitentia finalis, quousque ad hanc vitam referri debet, vt debere demonstratum est, ad habitus acquisitos, actusque prauos, qui lapsus et P. O. sunt confectaria. Homo in statu lapsus, P. O. corruptus, ut talis, non potest non ad impenitentiam propendere, in ejusque
actus.

actus, et habitus adquiretos, prolabi, eademque in illo, sine Redemptore, hinc sine fide, non potest non esse finalis. At talem nunc hominem redemit Christus, proque tali, ejusque peccaminosis actionibus, habitibusque pravis inhaerentibus, satisfactionem praestitit, quousque ad hanc vitam referri debent. Confitendum ergo tandem, quod pro impenitentia homini misero lapsu naturali, quaeque, in eo statu considerato homine, non poterat non esse finalis, satisfecerit Redemptor, eoque ipso effecerit, ut homo ab ea impenitentia liberari, eademque; quae quondam non poterat non esse finalis, nunc, post redemptionem, in temporariam potuerit mutari. Ut itaque, nisi pro impenitentia finali satisfactum sit, ab ea liberari non potuerit homo miser, qui satisfactionis objectum est. II) Qui nunc, post redemptionem praestitam, eam respiciens, in impenitentia moritur; is vel aliquo momento fidem habuit, vel prorsus non habuit. Posteriori casu in eo statu naturali misero mansit continuo, qui lapsus et P. O. est confectarium: priori in eundem ex gratia recidit, in eodemque moritur. Nunc ille ipse, status naturalis, lapsus confectaria continens, est ille ipse pro quo satisfecit Redemptor (per. I.): quomodo ergo fieri potest, ut pro eo satisfactum, quousque ad hanc vitam pertinet, negari possit? Est vero ille status, de quo quaestio est, impenitentiae finalis status: quare pro impenitentia finali satisfactum esse confitendum est. III.) Voluit nunc porro Christus, ut, qui finaliter impenitens est, non sit finaliter impenitens, atque, ut ab impenitentia finali liber esse possit, sua satisfactione pro impenitentia finali (n. I.) effecit, gratiamque conuertricem eo ipso promeruit: et nisi pro impenitentia finali satisfecisset Christus, non potuisset velle, ut ab ea liber sit homo, qui finaliter impenitens est, nec hic ipse a finali impenitentia liberari potuisset. IV.) Quodsi ergo gratiae non resisteret homo, ad mortem usque, utique non foret finaliter infidelis, et, ut non esset, omnino Christus voluit efficere, et satisfactione sua intendit: quia, ea posita, effecit, ut liber esse ab impenitentia finali *posset*, satisfactione
nimi-

nimirum pro eo statu, a quo liber esse debet per gratiam, hinc pro impenitentia finali, ut (n. I.) dictum. V.) Neutiquam ergo sequitur, si fieret fidelis, satisfactione pro impenitentia finali non eguisse. Namque ea satisfactio per dicta (n. I.) necessario ponenda fuit, siquidem fide in Redemptorem, ex impenitentia naturali, quae non poterat non esse finalis in statu hominis misero, et in qua perseverat ad mortem homo infidelis finaliter talis (num. II.), eripiendus erat. VI.) Quodsi autem gratiam et Redemptorem renuit finaliter impenitens, et hinc in statu illo naturali (n. I.) extra gratiam Eph. II. 11. ipsam quoque assistentem respuens *Ec. LXV. 2.* manet, vel in eundem statum recidit (n. II.): quid hoc facere potest ad satisfactionem pro eo statu, et, ut inde liberari posset, praestitam, negandam? Nihil omnino ejusmodi inde concludi potest, sed solummodo hoc consequitur, quod ex illo statu misero *actu* non liberetur, sed sub ira maneat actu, et fructuum redemptionis actu non fiat particeps: factae ab illo statu redemptionis, et pro impenitentia finali satisfactionis, negatio neutiquam inde sequitur.

§. 16.

Cum deinde Dissert. Inaugur. Part. II. §. XXXIIX. ex praemissis eruo conclusionem, Christum non voluisse, ut factum alienum (scilicet satisfactio), *quatenus* est moraliter alienum, finaliter incredulo imputetur in salutem; ad conclusionem repetit Cel. CARPOVIVS, quae praemissis opposuerat, quaeque modo remouit §§ *praec.* Quare circa illa nihil quidquam moror,

§. 17.

Dixeram porro ex Carpouiana sententia sequi, voluisse Christum fidei in finaliter infidelibus absentiam. Et hoc ita euictum dederam: Christus non satisfecit pro impenitentia finali (*per hypoth. Cel. CARPOVII*). Ergo non promeruit gratiam conuertricem, qua ab impenitentia finali conuerteri posset

posset homo infidelis. Ergo nec potuit velle, vt pro impenitentia finali in illo subiecto locum habeat fides. Ergo voluit in illo subiecto fidei absentiam. Obiter moneo, vbique intelligi finaliter infidelem in statu huius vitae vltimo, non post vitam. Ad ea regerit Vir Exc. se nevtiquam dixisse illud. Sed, nec, dixisse Virum, scripsi, verum adserui, ex ipsius sententia sequi. Non consequi ergo docere debebat: quod praestitum non est. E contrario Vir Praecell. quod sine fide satisfactio Christi finaliter infideli imputanda sit in salutem, ex nostra sententia se elicuisse dicit. Hoc autem quo iure factum sit, haecenus vidimus. Tandem circa hoc argumentum evitaturus Particularissimi objectionem in compensationem mihi opponit Apocatastaseos pericula: a quibus autem quemadmodum sententiam meam iam saepe et satis vindicaui, ita, quo Cel. CARPOVIO facta obiectio iure, quaeue injuria, commentum dici mereatur, suo loco videbimus.

§. 18.

Praecl. *Observ. et Dub. Auctor* etiam ad ea, quae contra argumentum tertium Cel. CARPOVII dixeram, respondit aliqua *Observ. et Dub.* (§. IV. 2.) Nimirum: Dum statuam, Christum efficere satisfactione sua voluisse, vt haec, quae factum physice et moraliter finaliter incredulo alienum est, eidem imputetur in salutem, non tamen quatenus est moraliter aliena, me simul adserere, Christum efficere voluisse, vt satisfactio finaliter impenitenti possit esse moraliter propria: iis vero positis poni contradictoria: quia impossibile sit, finaliter incredulo, qua tali, satisfactionem Christi esse moraliter propriam: cum alias finaliter infidelis deberet fidelis esse posse. Quod contradictorium sit. Nunc equidem qua ipsam rem differentia inter haec, et ea, quae a Cel. CARPOVIO obiecta sunt, non deprehenditur. Interim tamen, quia probatio imputatae contradictionis paulisper differt, figillatim etiam ad hanc respondendum credidi. Caeterum, quia iam abunde demonstraui *Fr. Mich. §. 20. Disp. 1. §. 9. Disp. 2. §. 3. Actum infidelitatis in hac vita nullum excludere fidei possibilitatem*

D. sed

28
27
26
25
24
23
22
21
20
19
18
17
16
15
14

sed solum actum fidei negare: eoque hic ad applicato imaginaria contradictio sublata est; pluribus huic obmoto immorari non opus est.

§. 19.

Coincidit autem cum tertio argumento *Carpouiano* illud quadantenus, quo usus est *Praecl. Auctor Observ. et Dub. pag. 9.* Cum enim pag. 8. postulasset: *Pro quocumque Christus satisfecisse dicendus, id satisfactionis habile objectum esse debere*; deinde triplici argumento probatum vult, *impoenitentiam finalem non esse habile objectum satisfactionis.* Ad primum et secundum argumentum jam reposui, quae sufficiunt, *Progr. Mich. §. 18. 19. 20. 21.* Tertium erat hoc: *Pro quo peccato, quae praestita ponitur, satisfactio Christi non potest vicaria esse, illud non est objectum satisfactionis habile.* De *impoenitentia finali* subsumitur, hinc concluditur. Vicaria autem esse posse dicitur ipsi satisfactio Christi, quando tanquam ab ipso peccatore praestita considerari, per eandemque is a propria satisfactione (vel potius poena) praestanda liberari potest. Quia, destructa minori, cadit argumentum; in *Progr. Mich. §. 22.* eo solo contentus fui, ut falsitatem minoris, ex praestructis doctrinis, et refutatione argumenti *secundi*, data §. 20. l. c., docerem. Nimirum potest praestita satisfactione pro *impoenitentia finali*, homo ab hac liberari, potest, etiam in ipso ultimo vitae actu, *impoenitentiae loco*, in homine esse fides. Quamvis enim non uterque simul, fidei, et infidelitatis, actus, poni possit, praesentia tamen actus infidelitatis *possibilitatem* fidei absolutam non excludit, praestita satisfactione pro omni hujus vitae statu: potest ergo etiam satisfactionis fructus, liberatio a poena, substituta pro infidelitate fide, locum habere. Sed non habet actu locum fides: non sequitur ergo actu satisfactionis fructus. Plura inferri nequeunt. Ex eo autem, quod actu non adsit fides, actu non sequatur fructus, ad negationem satisfactionis, ad negandam fidei *possibilitatem*, ad negandum, quod satisfactio non possit esse vicaria, ad negandum, quod fides, et satisfactionis fructus, quoad finaliter *impoenitentem, a Deo non sit intentus*, non valet consequentia. Haec itaque etiam hoc loco poterant sufficere. Quoniam autem

autem ibidem §. 24. ponderanda reliqui, quae ab *Auctore Obs. et Dub.* in Vberiori Declaratione *Defensori* thesium mearum opposita sunt; hoc loco, vbi paritas argumenti occasionem praebet, quae restant considerabo. Nimirum *Defensor* thesium mearum ad hoc *Auctoris Obs. et Dub.* argumentum ita respondet literis ad hunc datis, vt ex eadem ratione neget *satisfactionem pro transgressione legis operum* quoad *reprobos*: quia pari ratione ea non possit esse vicaria. Si enim hoc affirmetur, quia credere *posset* finaliter incredulus; respondet, hoc hypothesei repugnare, quia de finaliter incredulo, scilicet, *qua tali*, sermo fit. Sin autem illud negetur, negandam etiam esse satisfactionem pro transgressione legis operum respectu reproborum, qui sit manifestissimus *particularismus*. Deinde concludit: Aut possibile esse, vt Deus finaliter incredulis Redemptorem, scilicet pro transgressione legis operum satisfaciendum, neget, aut non esse possibile, scilicet, si reliquis lapsis hominibus nihilominus Redemptor concedendus sit. Si prius; sine dubio non datum fuisse Redemptorem, cuius quippe satisfactio pro transgressione legis operum non possit esse vicaria quoad finaliter incredulos qua tales (quare *particularismus* foret statuendus): Si posterius; non negandum fuisse Redemptorem, non obstante, quod non possit ejus satisfactio esse vicaria. Hoc itaque concessio; sequitur (quod, quia non expresse addiderat *Defensor*, ex ipsius modo concludendi deriuandum, *Cl. Auct. Obs. et Dub.* non attendit) rationem hanc, *quod non possit vicaria esse satisfactio* nihil valere pro satisfactione neganda, hinc argumentum *Clar. Auct. Dub. et Obs.* etiam quoad satisfactionem, pro transgressione legis fidei finali, propter eandem rationem negandam, non procedere. Inde ergo tandem format propositionem: Aut Deus omnium hominum omnibus hujus seculi peccatis satisfactionem Redemptoris constituit, hinc etiam incredulitati finali, aut toti generi humano negandus fuit Redemptor.

§. 20.

Quae produxit *Vir Clar.* ea omnino feriunt argumentum *Auctoris Dub.* Sed methodus disputandi hunc aliquantulum
D 2 a vero

28
 27
 26
 25
 24
 23
 22
 21
 20
 19
 18
 17
 16
 15
 14

a vero scopo et tenore argumenti Defensoris mei abduxit, ita ut, finita disputatione, nondum viderit Clar. *Auctor Dub.* quid sibi argumentum velit? quod distincte prodit p. 40. *Vber. Declar. **) ni potius simulasse dicendus sit. Interim omnino, *si verum est, satisfactionem negandam esse, quae vicaria esse nequit*, (impossibilitate hypothetica, ex facto, alia enim hic non habetur: vid. *Progr. Mich.* §. 20. 21.) et *peccatum non esse obiectum satisfactionis habile, pro quo vicaria esse nequit* & sequitur, si pro transgressione legis operum posita satisfactio vicaria esse nequit, eam satisfactionem esse negandam. Enimvero *posita infidelitate finali non potest* (impossibilitate scilicet hypothetica et ex facto) satisfactio praestita pro transgressione legis operum esse vicaria: quia alias absente fide deberet imputari. Ergo satisfactio illa pro finaliter infidelibus, qua talibus, *aeque ac satisfactio pro transgressione legis fidei foret neganda.* Quod posterius cum ipsi Domini Disputantes non admittant: fateantur, *rationem allegatam*, quod satisfactio vicaria esse non possit, *non sufficere pro satisfactione neganda.* Methodus disputandi est *κατ' ἀντιθέσιν*, quam *comparationem* dicere solent Logici. Omnis *Auctori Dub.* in eo vertitur labor in *Vber. Decl.* §. VI. p. 30. sq. ut Defensorem meum neglecti status controversiae accuset, quasi finaliter infidelem famiserit sensu *reduplicativo*, vbi in sensu *specificativo* sumere debuisset. At in eo peccat Vir Praeclarissimus artem disputandi migrans. Sumit enim semper Defensor meus in sensu *specificativo* finaliter infidelem, quando sumere debet, nimirum in quaestione de *satisfactione praestita*: Sumit autem in sensu *reduplicativo*, et sumere debet, vbi de *applicacione et esse vicario satisfactionis* negandis quaeritur. Fiat argumentum, ut quod dixi distincte pateat etiam

*) Was soll ich von der Methode urtheilen, welche Sie bey Besprechung meines andern und dritten Arguments gewählt? Sie lassen meine Majores stehen, und machen andere Subsumtionen, um Conclusiones zu formiren. Wie? wenn ich hier antworte: Concedo totum argumentum, salva thesi mea. Was gewonnen Sie denn für den Satz des H. N. H? Nichts. Und was richteten Sie bey mir aus, wenn ich Ihre Schlüsse als wahr annehme? Sie besserten mich nicht, sondern süßeten mich auf einen offenbahren Irrthum, ad Particularisimum.

etiam hoc modo: Si satisfactio pro finaliter infideli, qua tali, praestita neganda est, propterea, quia vicaria esse nequit, quoad finaliter incredulum, qua talem; sequitur, quod etiam satisfactio pro finaliter infideli, non qua tali, sed in sensu specificatiuo sumto, praestita, sit neganda, quia pariter vicaria esse nequit quoad finaliter incredulum, qua talem. Ratio utrobique est eadem. Aut ergo haec ratio valet, et sic neganda est omnis satisfactio pro finaliter infideli praestita; aut ratio illa validum non praestat argumentum, ad satisfactionem pro impenitentia finali, negandam. Subjectum, de quo quaeritur, in adplicatione satisfactionis neganda, utrobique est finaliter infidelis, qua talis. De eo negatur, quod pro ipso praestita sit satisfactio pro impenitentia finali. Negatur hoc, quia satisfactio vicaria esse nequit quoad illum, qua talem. Defensor nunc dicit: eadem ratio etiam valet respectu satisfactionis praestitae pro illo, in sensu specificatiuo, siue pro ipsius transgressione legis operum: namque ea etiam quoad finaliter incredulum, sensu reduplicatiuo sumtum, siue qua talem, non potest esse vicaria. Et hoc tanto magis opponi Viro Clar. potest, quanto certius est, ipsum concedere pro finaliter infideli praestitam esse satisfactionem pro transgressione legis operum, quae tamen imputari non potest sine fide, hinc respectu finaliter increduli, qua talis, non potest esse vicaria. Si itaque illa ratio valet; nulla satisfactio est praestita pro finaliter infideli, siue sensu specificatiuo siue reduplicatiuo dicto. At posterius est falsum, per concessa, quia pro illo, sensu specificatiuo dicto, facta satisfactio admittitur. Ergo falsum est prius, scilicet rationem allegatam in argumento Auct. Dub. valere ad negandum satisfactionem. Restituto itaque valore argumenti καὶ ἀνδραγαθῶν formati, quo vsus erat Defensor meus, dimittere jam possem reliqua cuncta, quae in vberiori Decl. adduxit Auctor Dub. Sed ne aliquid intactum reliquisse videar, pensitabo singula sigillatim.

§. 21.

Quaerit Defensor: An satisfactio prima, siue pro transgressione legis operum, possit esse vicaria (scilicet in finaliter incredulo qua tali)? de eo enim loquitur ille. Clar. Auctor Dub. quaestio

D 3

nem-

nem affirmat, quia, de *finaliter infideli, specificatiue sumto*, quaeri, supponit, Eoque supposito recte affirmaret, si de possibilitate *absoluta* quaereretur. Quaeritur autem de *possibilitate hypothetica, ex facto*, et supposito finaliter incredulo, qua tali. Vnde affirmanda quaestio non erat, sed neganda. Imo, si de finaliter incredulo *specificatiue sumto*, et de *hypothetica possibilitate* sermo esset, qui non est, non posset tamen quaestio affirmari, sed, cum distinctione, respectu habito, ad fidem finalem, affirmari, ad infidelitatem finalem, negari deberet. Hinc recte Defensor dicit, si (scilicet sub hoc respectu de quo ipsi sermo erat) affirmetur; contradictionem adesse, quia sic non esset finaliter infidelis (scilicet qua talis). *Auctor Obs.* instat, *non cessare tamen esse finaliter infidelem, specificatiue dictum*. Sed respondeo, id nihil ad rem facere, quia quaestio non est de *satisfactione praestanda*, sed de *adplicatione ejus neganda*, in quo respiciendum est ad infidelitatem finalem. Non sane Defensor meus sed Auctor Dub. sensum reduplicatiuum cum specificatiuo miscet, et vbi ille ponendus erat, hunc substituit. Quod autem addit *Auctor Dub.*: *non debere hic aliter considerari, quam in sensu specificatiuo, finaliter incredulum*, quia de *satisfactione* prima, quam dixerunt disputantes, quaestio sit; id pariter nihil causam iuuat, quia quaestio non est de *satisfactione praestanda*, sed *adplicationis ejus negatione*. Quod autem vltimo dicit, *de finaliter incredulo in sensu specificatiuo sumto in se esse possibile*, vt credat, quamvis fides *existentiam* non nanciscatur *propter continuam resistantiam accedentem*, id bene dicitur, et quod etiam de finaliter infideli, qua tali, id est, in vltimo infidelitatis hujus vitae actu constituto, valeat, a me saepe demonstratum est. Ex dictis autem jam abunde patet, *Clar. Dub.* Auctorem Defensoris mei mentem non attingisse, vel attingere noluisse, vel dissimulasse. Quare cum in cassum disputetur, vbi ad diuersum itur scopum, reliqua non modo relinquuntur, sed et, quae incidenter sparsa sunt, falsa e. g. quod, *si hominibus non datus esset Redemptor non habuissent infidelitatis occasionem*: itemque, *nullam prorsus dari impossibilitatem acceptandi satisfactionem primam* (quae tamen omnino aequae ac impossibilitas acceptandi

di

di satisfactionem secundam, datur, post hanc vitam, et *absoluta* quidem, quae, quoad vnam aequae ac alteram, in hac vita neganda est, pariter missa facio. Quae autem per parodiam respondentur Defensori meo, ad ea per parodiam, quae infra lineam habentur *), liceat etiam mihi respondere. Eamque alia quoque ratione sibi directe in hac causa oppositam formari posse facile intelliget ipse Cl. Dubiorum Auctor. Caeterum moneo etiamnum I.) Cum disputatur: *An ratio damnationis sit in incredulitate, qua rejecta est satisfactio pro transgressione legis operum, an in incredulitate, qua rejecta est satisfactio pro transgressione legis fidei (utraque finali)?* neutrum excluso altero dicendum esse, quia ratio damnationis est in incredulitate, qua rejicitur satisfactio tota et pro transgressione legis operum et legis fidei praestita.

II.) Cum

*) Warum sollte denn Gott nicht die Absicht gehabt haben, daß die Satisfactio, welche Sie secundam nennen, bey den finaliter incredulis sensu reduplicatio sumtis in hac tamen adhuc vita constitutis, vicaria würde, da es an sich nichts unmögliches, ob sie es gleich wegen ihrer beharrlichen Verwerfung nicht wirklich wird. Hat ihnen nun Gott eine Satisfactio gegeben, die an die Stelle ihrer selbst zu leistenden konte gesetzt werden: so kan man Gott hiebey vollkommen rechtfertigen. Gott müste, es sey an sich nicht unmöglich, daß die Satisfactio pro transgressione legis et operum et fidei finali bey den finaliter incredulis, qua talibus, in hac tamen via adhuc constitutis, vicaria würde. Denn in ultimo vitae actu non credere et credere posse contradicirt sich nicht. Desfals gab er ihnen dieselbe. Hierdurch setzte er sie in die Umstände, daß sie von dem endlichen oder beharrlichen Unglauben und der ewigen Verdammnis frey werden konten; und es ist ihre eigene Schuld, daß sie ihr Leben in Unglauben beschliessen, und daher die bestrübten Folgen ihres Unglaubens tragen müssen. Es wäre auch nicht besser gewesen, wenn ihnen Gott gar keinen Erlöser gegeben hätte. Denn nach seiner Unpartheylichkeit hätte Gott den Erlöser auch nicht für andere Menschen, die von Natur alle ihres gleichen sind, bestimmen können, wenn er ihnen denselben versaget hätte. Sie hätten aber auf solche Weise kein Mittel gehabt seelig zu werden, wenn sie nur selber wolten. Was kan der Wohlthäter dafür, wenn ein unbefonnener Mensch seine Gutthaten zu seinem eigenen Verderben misbraucht? Eine an sich gute Sache darf deswegen nicht cessiren, weil sie jemanden per accidens durch seine eigene Schuld schädlich wird. Man müste auf solche Weise auch

II.) Dum Clar. Auct. Dub. p. 38. monet, cum de satisfactione prima, pro finaliter incredulo, specificatiue dicto, sermo fit, et an, ratione hujus, illa vicaria esse possit (siquidem de absoluta possibilitate sermo fit)? quaeratur, non esse respiciendum vel ad fidem, vel ad infidelitatem finalem: in eo facile consensus habebitur. Sed quando addit porro, quod ex fide vel infidelitate finali solummodo judicari possit: an actu sit vicaria, nec ne? non autem an vicaria esse possit? an minus? In priori consentio iterum, neutiquam in posteriori, quoad prius membrum spectato. Si enim de affirmatiua quaeritur, cum ab esse ad posse valeat consequentia, omnino ex fide finali, quod vicaria esse possit, recte colligitur, et non modo secundum absolutam possibilitatem sed etiam hypotheticam. Quoad posterius membrum, de negatiua, propter infidelitatem finalem, falso dicitur, quod ex infidelitate finali non possit judicari, quod vicaria esse satisfactio non possit (possibilitate hypothetica et ex facto): hoc enim omni-

no

auch nicht Gottes Wort vor einer ganzen Gemeine predigen, weil doch mehrentheils Zuhörer zugegen sind, welche bloss Hörer, und keine Thäter, und deren Verantwortung daher desto schwerer wird. Genug, Gottes Wort könnte ihnen nützen, wenn sie wolten: und Christi satisfactio könnte bey den finaliter incredulis, auch in ultimo vitae actu vicaria werden, wenn sie wolten. Ja es war unmöglich, daß Gott den praenitens finaliter incredulis qua talibus et in ultimo hujus vitae actu constitutis die satisfactio nicht gebe, es sey denn, daß er zugleich dem ganzen menschlichen Geschlecht dieselbe nicht gebe. Desfalls hat Gott nach seiner allgemeinen Erbarmung gegen alle Sünder, auch den reprobis non qua statum post mortem sed hujus vitae, auch quoad statum infidelitatis ultimum, wodurch sie finaliter infideles qua tales sind, einen Erlöser geben müssen, es sey nun, daß die Absicht Gottes, daß, auch in Ansehung dieser, satisfactio Christi vicaria werde, wirklich erreicht werde oder nicht. Solte der Satz nicht wahr seyn: Entweder hat Gott allen Sünden aller Menschen, die in dieser Welt (contra legem et operum et fidei) begangen werden, einen Erlöser gegeben, oder er hat dem ganzen menschlichen Geschlecht keinen geben müssen? Dis meine ich. Und hieraus hießet der Beweis für die satisfactio pro incredulitate finali; oder ich müste theils das, was nicht seyn kan und das, was nicht wirklich wird; theils incredulum sensu reduplicatiuo, qua hujus vitae ultimum actum, und qua statum post hanc vitam sumtum, für gleichgültig achten, wie von ihnen, si quid iudico, geschehen ist.


no inde judicari potest, propter clarissimum assertum Christi *Marc.* XVI. 16. et Pauli *Ebr.* VI. 4. sq. X. 26. sq. Recte autem dicitur, quod ex infidelitate finali non possit judicari, quod vicaria esse satisfactio non possit (*absolute*). Quia omnino vicaria esse *absolute poterat* satisfactio, quae non est *actu*, et *hypothetice*, ex facto, esse *non potest*, vicaria. III.) Interim non possum non rogare Clar. Auct. Dub. et Obs., velit hanc propriam suam bene observare crisin, quae magno vsui in hac tota controuersia esse poterat. Si enim ex infidelitate finali negat iudicium ferri posse, quod *non possit* esse vicaria satisfactio praestita: quomodo, quae so, potuit is ipse et Cel. CARPOVIUS ex infidelitate finali *hanc ipsam* continuo elicere *conclusionem*, quod satisfactio *non possit* finaliter incredulo, qua tali, in ultimo quoque infidelitatis actu, imputari, et vicaria fieri? quam roties intulerunt. Profecto! Quia nunquam contigit errori, consensum per omnia seruare!

Sufficiant illa ad haec Cel. CARPOVII argumenta disputata. Restant pauca alia, quae propediem sumus daturi,



29
27
26
25
24
23
22
21
20
19
18
17
16
15
14

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





cl̄ōclxxvii; et Ioh. Creighton in commentario,
 hic: *De Brief van den H. Apostel Iudas ontleedet en*
 arlemi cl̄ōccxviii. Ex Pontificiis in eam com-
 : Augustinus de Quiros, societatis Iesu, in libro
 auorum cl̄ōcxxxviii secunda vice edito: Adamus
 ulgo Sasbouth, cuius *expositio epistolae Iudae* in operi-
 , Coloniae Agrippinae cl̄ōlxxxviii tertia vice
 is, exstat. Theoduli, Itali, *commentarium in Iudae*
 tum est bibliothecae Patrum, edit. Parisiis cl̄ōcix:
 ardentii commentarius in eandem exscriptus est
 ae Agrippinae cl̄ōcxcv. Henricus Lancelotus,
 us, scripsit in epistolam Iudae *anatomiam Christiani*
 ntwerpiae cl̄ōcxxxiiii: Franciscus Laurelotius
 cxii *exegetin in epistolam Iudae theologicam, catholicam*
 didit: Aegidius Radeus et ipse hoc in loco suum
 m foras dedit. est autem recusus Geneuae cl̄ōxc-
 ofius Ansbertus, vt vulgo, vel Autpertus, Bene-
 lanationes in Iudae epistolam dedit Coloniae cl̄ōxxx-
 olducius, Franciscanus, eam exposuit Parisiis cl̄ō-
 Martinez Segunti cl̄ōcxxxviii, ac Raphael Maf-
 nemadmodum alii volunt, Maffeus, *explanationem*
 ae suppeditavit Venetiis cl̄ōlxxvi. Inter Soci-
 entarium in hanc epistolam conscripsit Ioh. Ludo-
 enius, Baro Austriacus, qui in *bibliotheca vnita-*
 poli (quod est fictum nomen) cl̄ōclvi edita,
 in eadem reperitur etiam *fragmentum commentarii in*
 , cuius auctor est Ionas Schlichtingius a Buko-

Iudae epistola. Offert se mihi et aliud praefatio-
 um. Nuper enim, in locum placidissime defun-
 atis Consulis KLVS MANNI, suffectus est vir Con-
 BLECHEN. qui adhuc ita praeclare, vti de vni-
 uersa

